



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 46. An per simoniam conventionalem necdum realiter completam  
incurrantur poenæ juris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

*Rayn.* n. 9. *Pirh.* à n. 95. & plerique Juris-Periti, docentes provisionem esse ipso Jure & facto invalidam, ita ut quamprimum resciverit, statim teneatur, vel petere dispensationem vel beneficium dimittere & restituere fructus perceptos, iis exceptis, quos bonâ fide consumpserit, aut qui respondent ipsi ministerio, quales sunt præsentia, hos enim fecit suos, *Suar.* n. 9. *Pirh.* supra. Præterea talis provisus illâ vice est inhabilis, ut obtineat idem beneficium: atque hæc veluti pœnæ infliguntur ob culpam etiam alienam, ut tantò magis removeatur labes simoniaca: notant tamen *Nay.* & *Henriq.* apud *Dian.* supra non incurri suspensionem ab eo, qui nescivit Simoniam in sua Ordinatione esse commissam; & idem habet *Castrop.* de censuris d. 5. p. 10. §. 4. n. 1.

- 211 §. 6. Si tantum per tertium commissâ sit simonia, potest ab ignorante præscribi Jus in beneficio per possessionem triennem, uti dicitur L. 4. n. 709.
- 212 Q. 46. An per Simoniam conventionalem necdum realiter completam incurrantur pœnæ Juris. R. Affirmant *Cajet.* *Garz.* *Comit.* & alii multi cum *Pirh.* Lib. 5. Tit. 3. n. 100, quamvis enim pretium necdum sit traditum, Simonia tamen videtur completa, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita, quamvis pretium necdum sit solutum: econtrâ *Suar.* aliique 30. apud *Garz.* p. 8. c. 1. num. 19, quibus consentiunt *Ray.* L. 2. S. 1. c. 4. n. 2. *Less.* c. 35. n. 149. *Regin.* L. 23. n. 171. *Moya.* T. 6. d. 4. q. 7. n. 9. probabilius negant; & hanc sententiam fatetur *Pirh.* in praxi securam esse. Ratio est, quia in odiosis, per Simoniam intelligi debet illa, quæ completè & perfectè est talis, qualis non est, nisi sit utrimque realiter completa: addunt adhuc non esse omnino completam, quamvis

quamvis datum sit chirographum de solvendo pretio, quia illud chirographum non est pars pretii: notant quoque *Dian. Baun. & Rayn.* n. 1. contra *Suarez*, si falsa pecunia daretur, etiam non compleri, quia falsa pecunia non est verum pretium: Quod si pretium non solveretur statim, sed post aliquot v.g. menses, quamvis in foro externo pœnæ retrotrahantur ad tempus conventionis, non tamen in foro conscientiæ, hinc talis non tenebitur restituere fructus interim perceptos, ita *Leß. Castrop. Rayn.* n. 3. *Dian.* P. 10. T. 16. R. 15. Atque idem est de excommunicatione incurrenda, quæ nunquam retrotrahitur, uti iidem Authores habent.

Q. 47. *An pœna Juris incurrantur per Simoniam* <sup>213</sup>  
*Juris Ecclesiastici tantum.* R. *Suar. Rayn.* num. 4. *Pirh.* n. 100. & 155. alique communitis & probabilis affirmant, quia est vera Simonia, licet non strictissimè dicta, & si casus hujus Simonix defertur ad Curiam Romanam, semper declarat subjacere pœnis: è contrà *Navar. Leß.* num. 141. *Sanch.* in Conf. L. 2. c. 3. d. 118. n. 3. *Dian.* P. 4. T. 4. R. 155. P. 10. T. 16. R. 17. P. 11. T. 5. R. 1. & 20. Item T. 6. R. 30. alique cum *Castrop.* D. 3. P. 15. n. 4. etiam probabiliter negant, quia non est propriè & strictè dicta simonia, quæ communiter definitur, *studiosa voluntas vendendi spirituale pro temporali*, quod soli Simonix Juris naturalis convenit: unde qui, v.g. propriâ authoritate permutant beneficia, quamvis graviter peccent, tamen secundum hanc sententiam non incurrunt excommunicationem, nec ipso Jure privantur beneficiis, nec tenentur fructus restituere: excipiunt tamen omnes Simoniam confidentialem, de qua à num. 220; item, si detur aliquid etiam gratis Officialibus Episcopi